



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.7. Icilini immanitates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)



eum sint nocentissimi, tamen se putant esse innocentes.

Sed quamuis tu sanctus sis, vide ne alienorum scelerum te participem efficias. Vel enim consentis, vel consulis, vel iuuas, vel approbas, in quo alter delinquit, & iam iustam Deo Iudici causam offers tui plectendi. Quod & Alberico contigit, Icilino fratri suo sceleratissimo adherenti; in quo, si cetera illi crimina defuissent, solo mille mortes meruisset. Audite, obsecro, qualis fuerit Icilinus. Is primò *ultra se Verona do-* *minum appellauit, atq; ibi & Patauij primori-* *bus ciuitatis per varias causas interimendis in-* *tentus, eas ciuitates in tantam salutis propria-* *desperationem adduxit, ut plerique, ne illius cri-* *minatione iniquo iudicio publice interirent, ul-* *tro sibi mortem consciscerent. Postea Icilinus Ve-* *ronam reuersus, eò impotentius questiones pro-* *ditionis exercuit, atq; omnes qui Verona, & Pa-* *tauij aliquid aduersus se vel dixisse, vel fecisse di-* *cebantur, publica ac foeda morte affecit, quot* *innumerabiles fuisse accepimus. Tertiò, qui* *& Patauij inauditæ crudelitatis suæ habenas* *ita laxauit, ut nullum diem præterire pare-* *retur, quo non in aliquem vel insontem no-* *uo aliquo necis genere tormentiue debac-* *charetur,*

VII.  
ICILINI  
IMMANE  
TATES.

Carol Sigon, lib. 18. de re-  
gno Ita-  
liae, & lib. 19.



44 Cap. II. Icilini, & Alberici exemplo.

charetur. Quarto, Icilino bello Mantuano parum prosperè factò, Veronam se referenti priuatus homo se obtulit, atque, audientibus omnibus, Pataviu in amissum renuntiauit. Quo ille nuntio exanimatus, ut se collegit; ipsum nuntium mendacij arguens suspendi arbori iussit; deinde alter successit, qui secretò illud idem significauit: tum Praefecti quidam eius venerunt, qui idem, culpam omnem in Ansedisium referentes, asseruerunt. Ille verò occulto dolore dissimulato, Veronam adijt, ac toto accito in urbem exercitu, portas claudi, ac summa cura custodiri mandauit. Mox conceptam iram omnem in Patauinos euomere cupiens, omnes Patauinos inermes in locum unum coëgit (hi erant XI. hominum millia, quos apud se aut obsidum, aut militum, aut ministrorum nomine habebat) atq; omnes satellitibus suis, varijs necis afficiendos generibus, tradidit. Ita intra octo dies cuncti aut suspendio, aut igne, aut obtruncatione, aut fame deleti. Quintò, Veronæ quoque triginta octo Patauinos, qui superstites erant, morte affici in foro praecepit, quorum nemo erat, qui non ei aliquam aliquando operam fortem fidelemq; nauasset. Sextò, hæreticus fuit, qui non solùm libertati populi, sed ipsi Ecclesiae insidiabatur. Ob quæ scelera, cum

captus



captus ærumnam suam lugeret, Deum suorum scelerum vindicem adesse confessus, sine pœnitentia homo omnium sceleratissimus, ac Deo hominibusq; inuisus, annos LXV natu decessit. Atque hoc pacto in illo & fratre eius Alberico, filijsq; eius miserrimè deartuatis extincta est tota familia à Romano.

His intellectis, quid jam iudicatis, Auditores? an his fratribus iniuria facta est? An non hi tyranni hæc, & maiora meruerunt supplicia? An non ipsi quodammodo Deum docuerunt puniendi seueritatem? Si enim homines tam grauitè sæuiunt in se inuicem; & quidem in innocentes, an non & supremus ille iudex in tam nocentes debet irasci? Quod ipse commonuit dicens: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remeietur vobis.* Neque turbare quemquam debet, quòd filij sex Alberici, itemq; vxor & filia duæ, quæ innocentes videbantur, vnà cum facinoroso patre, tam immiti exemplo permixta sint cruciari & contrucidari. Nam in primis etiam victores in ea cæde atq; vindicta excedere, & grauitè peccare potuerunt; neq; tenetur Deus peccata hominum, contra communem cursum naturæ, impedire

VIII  
 QVAM IV-  
 STE A DEO  
 HIS SVA  
 CALAMI-  
 TAS FVE-  
 RIT PER-  
 MISSA?

Matth. 7.

2.

21